



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

98. De fundatione Coenobij Epternacensis Dotantibus Pipino & Irmina.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

cellas in Eboraco extimuit, ad quietem in senili ætate anhelans ad quam respexisse patet, quod postquam innocens Romæ esset declaratus & ad antiquam sedem remissus, ambiebat tamen Romæ remanere, nec nisi cogente Iohanne Papa in patriam est reuersus.

## DISSERTATIO LXXXVIII.

De fundatione Cœnobij Epternacensis Dotantibus Pipino & Irmina.



Ipinus Princeps motus Apostolicis & religiosis operibus S. Willibrordi ei ex pietate donauit medietatem fisci Epternacensis idque anno 709. Childeberti regis Franciæ 12. qui successit Clodoueo anno 698. Est uero Epternacum ( quod secundum Adrianum Iuniũ corruptum uocabulum est cum primitus uocaretur Absternacum ab abstergendo ) situm inter Lutzenburgenses qui creduntur esse ueteres Leuci de quibus Tacitus libro 17. Annalium. huius loci pars una spectauit ad Pipinum, altera ad Irminam Dagoberti Regis filiam.

Sed cur hinc de fisco Epternacensi? quid sibi uult fiscus Epternacensis? Respo: fiscus in propria significatione denotat uimineam sportam: unde fiscella scirpea ex iuncis seu scirpis quasi uiminibus contexta, qua expositus est Moyses Exodi 2. fiscus significat etiam utensile ad maioris summæ pecunias capiendas. Vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ, quam priuata, factum est ut fiscus pro Pecunia publica dicatur. hinc S. Augustinus ( in psal:

146) & Isidorus (l. 20. origin. cap. 9. interpretantur saccum publicum. Suidas & Hesychius penuarium publicum. Inde enatum quod loca ipsa, domus, arces, publicis Principis redditibus seu frumentarijs, seu alijs, conuehendis, & condendis extractæ, & comparatæ, fisci dicebantur. Eiusmodi publicas domos, maxime, si etiam contra vim unitæ, Castra vocauit posterior ætas, quæ antiquis Latinis Arces erant. sumpto continente pro contento significat fiscus diuitias seu thesaurum Principis, quem Traianus Imperator solitus erant appellare lienem, eò quod eius nimium augmentum, subditorum & populi, à quo pecunia fisci exigitur, sit detrimentum: crescente enim & intumescente liene, cæteri artus & membra tabescunt. denique etiam totus aliquis terræ tractus ex quo annui census principis colligebantur & ad certum Primarium locum deferrebantur, fiscus cœpit nominari. talis hoc loco est fiscus Epternacensis (quem Dominium possis appellare) cuius dimidium modo Pipinus dat S. Willibrordo: alterũ dimidiũ Irminę supradictæ est donũ. De hac Epternacensi donatione sic Haręus: ann. regni Hildeberri 2. (est is annus Christi 699) Pipinus cum coniuge Plittrude tertio Idus May tradidit beato Willibrordo medietatem fisci Epternacensis à Theodardo Theodarij Ducis filio sibi relictam. Ita ille & quidem ex Heda. verum fallitur, nam in primis exemplar Hedæ quod pœnes me est editum per Bernardum Furmerium donationem dictam recensens, nullum nominat annũ. Exemplar Hedę editum longè correctius ab Arnolde Buchelio anno 1643. continet donationem factam anno 12. Hildeberti. Vnde videtur Haręus vsus exemplari corrupto ponente 2. pro 12. omisso 1. Monumenta Epternacensia à Miręo eorum inspectore citata continent sæpe dictam donationem factam à Pipino anno

12. Hildeb. ipsis potius credendum est. Deniq; non apparet probabile Pipinum tam cito elargitum Willib. censur. Epternacenses fundando asceterio in adeo dilata plaga, qui iam recens Episcopus in erigendo Episcopio Traiectino alijsq; Frisię plurimam partem adhuc ethnice negotijs plus satis erat occupatus. Ex acceptis agris S. Willibrordus Monasterium erigit siue hoc eodem anno, siue sequenti; non longè eum distulisse credendum est, cum Pipinus eum in vsum sua alienaret. hinc notandus est Bruschijs asserens S. Willib. Epternacum condidisse anno 696. & regere cœpisse anno 698. Quomodo Willibrord. implicuisset sese negotio ædificandi Cœnobij in adeo remoto tractu cui nec de sede Ultraiectensi erat plenè dispositum, & in fine anni 696. primo consecratus sit Episcopus, sequenti anno in Frisiam demum rediens? præterea in annis Bruschijs nondum collatus erat fiscus Epternacensis vti iam visum est. imaginor Bruschijs possessionem, regimen Willibrordi in Episcopatu Traiectino sumpsisse pro possessione & regimine auspiciatis in Epternaco; nam is anno 696. Cathedralem suscepit & anno 698. plene administrare cœpit.

Obseruandum scribi nunc Echternacum, nunc Epternacum quod est communius: nunc Efternacum quo vtitur Ioannes Roberti in annotationibus ad Flores Thiofridi Abbatis Efternacensis securus suum authorem. Efternacum nusquã mihi occurrit præterquam apud Haræum supra, forsan vitio Typographiæ. Longissimè recedit Iunius eudens Absternacum ab abstergendo ipsius folijs, quod sciam, lusus & speculatio est, quam Thiofridus Abbas Efternacensis & eius commentator I. Roberti varias istius nominis pronuntiationes recensens, ignorant.